



# **Specimen academicum inaugurale de difficili aut impedita alimentorum depulsione**

<https://hdl.handle.net/1874/203573>



The background of the entire page is a repeating pattern of red floral and foliate motifs on a light-colored, vertically striped paper. The motifs include stylized flowers, leaves, and scrolling vines.

O. qu.

572

GESCHENK

VAN HET

UTR. OUD-STUDENTENFONDS.



04572

SPECIMEN ACADEMICUM  
INAUGURALE  
DE  
DIFFICILI AUT IMPEDI-  
TA ALIMENTORUM  
DEPULSIONE,

QUOD,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

EWALDI HOLLEBEEK,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS, HUIUSQUE FACULTATIS  
IN ACAD. LUGD. BATAV. PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, &  
Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in Medicina Honoribus ac Privilegiis rite  
& legitime consequendis,

*Publico examini submittit*

JANUS BLEULAND,  
GODANUS.

*BF*

*Ad diem XXI. Junii MDCCLXXX. H. L. Q. S.*



LUGDUNI BATAVORUM,

APUD { THEODORUM HAAK, ET SOC. }  
          { JACOBUM DOUZY. } 1780.



V I R I S

ERUDITIONE MERITIS AC MUNERUM

*GRAVITATE CELEBERRIMIS,*

MEDICINAE IN ACADEMIA LUGDUNO-

BATAVA PROFESSORIBUS,

GUALTHERO VAN DOEVEREN,

EDUARDO SANDIFORT,

JOHANNI DAVIDI HAHN,

NIC. GEORG. OOSTERDYK,

PROMOTORI ET PRAECEPTORIBUS

*AESTUMATISSIMIS,*


CORNELIO BLEULAND,

CHIRURGO ET OBSTETRICATORI INTER GOU-

DANOS EXPERTISSIMO DEXTERRIMO,

PATRUO SEMPER VENERANDO,

S A C R U M.



SPECIMEN ACADEMICUM  
INAUGURALE

DE

DIFFICILI AUT IMPEDI-  
TA ALIMENTORUM  
DEPULSIONE.

---

INTRODUCTIO.

**I**nter omnes Corporis Humani functiones, quibus ad  
Virae ac Sanitatis perfectae durationem indigemus,  
non infimum certe locum illa meretur, qua alimenta  
ore masticata ac deglutita versus ventriculum ulterius  
propelluntur: hac integra, ex ingestis cibis potibusque chylus, san-  
guis, aliique humores praeparantur, diluuntur & ab acrimonia possunt  
defendi; vitiata vero, tota animalis oeconomia turbatur, & si diu ab  
officio desistat, adeo atrociam exoriuntur symptomata, ut in certam cor-  
poris ruinam cedant.

A

Do-

Fig. I




Fig. IV




Fig. II




Fig. V





Fig. III





Dolendum itaque quam maxime est, toties in ea via, quam transire deglutita debent, ut in ventriculum pervenire queant, oriri morbos, qui vel difficilem reddant illum transitum, vel plane intercipient, adeoque vel injucundam, molestant, morbosam vitam post se trahant, vel inevitabilem, post dirissima symptomata & summam corporis emaciationem, mortem producant. Saepius animum meum percussit, meamque attentionem excitavit, dirus ille Morbus, qui *Dysphagiae* seu *Difficilis aut impeditae Alimentorum depulsionis* nomine, apud Medicos tractatur, qui & frequentius a multis nostra aetate, quam olim, dari perhibetur, cujusque varia exempla mihi adhucdum Tyroni, durante Vita Academica, videre contigit: sed nunquam fortius ille me affecit, inque sui specialorem contemplationem quasi traxit, quam postquam, per solitam venerandi Praeceptoris VAN DOEVEREN erga me benevolentiam, contigit mihi ejusdem in Foemina quadam Leidensi memoratu dignissimum Casum anno praeterito observare, in quo violentissima vidi symptomata, quorum ratio quidem ante mortem in impedita assumptorum via latere potuit cognosci, cadaveris autem sectio adeo singularem exhibuit a statu naturali deviationem, ut non incongruum duxerim, pro Inaugurali Specimine Academico, crudelissimum hujus miserae morbum, ad virium mearum rationem, exponere, & Figuris morborum Oesophagi ac degenerationis adjacentis glandulae, illustrare: simul adjiciens Observationem, quam postea in Infante quinque circiter annorum Anatomicis exercitiis destinato detexi, eaque occasione nonnulla conscribere de memorato isto Morbo, cujus naturam & causas sic mihi perquam illustravit uterque casus Anatomico-pathologicus, qui favente fortuna singulari mihi contigit.

Hoc tamen ut ordine fiat, animus est partis, de cujus Laesione

agam,

agam, naturalem praemittere statum: nullus autem dubitans, quin cuius haecce legenti saepius sub oculis fuerint accuratissimae ac prolixae variorum Auctorum (a) Oesophagi descriptiones, hac in parte brevitati quantum possim studebo, & concinne ejus situm, nexum, fabricam & usum exhibebo, ut sic facilis fiat transitus ad morbose constituti considerationem.

---

## C A P U T P R I M U M.

### DESCRIPTIO STATUS OESOPHAGI NATURALIS.

#### §. I.

**O**esophagus est canalis cylindricus, membranaceo musculosus, à pharynge, infra & pone cartilagineo cricoideam exortus, descendens recta deorsum intra asperam arteriam atque vertebrae, ad quintam autem dorsalem parumper versus dextrum latus recedens, ut magnae arteriae liberum spatium conciliet, ad nonam autem iterum medium dorsum occupans perforat diaphragma, & superiori ventriculi orificio sive sinistro, quod cardia dicitur, terminatur.

#### §. II.

---

(a) Vid. Cel. v. GEUNUS *Comment. de Imped. Depulsione in Aë. Harlem. Tom. XI.* ubi non tantum Oesophagi structuram naturalem accuratissime descripsit, sed enumeravit quoque varios Auctores, qui ex professo de eo egerunt, pag. 9. & seq. vid. & Cl. NAHUYNS *eodem Tom. p. 182*: meretur quoque imprimis consuli HALLE-  
RUS *in Elem. Physiolog. Tom. VI. Libr. XVIII. Sect. 4. p. 93.*

## §. II.

Componitur ex variis Tunicis, quarum prima est externa cellulosa compacta, quae reliquas continendo, & oesophagum vertebris atque asperae arteriae satis firmiter adnexum tenendo, inservit: secunda est muscularis ex duplici fibrarum strato conflata, quarum aliae longitudinales, oesophagum breviorum reddunt, circulares aliae contrahendo oesophago destinantur: tertia est nerveo-vasculosa, cui adjacent innumerae glandulae osculis suis in interiori tubi superficiem hiantibus mucum excernentes, uti & exhalantes ibidem arteriae suam lympham effundunt, sicque viam continuo lubricam servant, ut faciliterur alimentorum ingerendorum transitus: quarta est intima, nonnullis tunica villosa dicta, quae est alba tenax insensibilis, similis illi, quae oris & cutis externae superficiem obtegit, quaeque interiori oesophagi superficiem terminat, atque cum modo dicto succo mucoso nerveae sensibilitatem moderat, atque vim nocivam stimulantium & acrium infringit.

## §. III.

Vasa arteriosa accipit ab oesophageis superiore atque inferiore: haec a coeliaca & phrenicis oritur, illa ex prima intercostalium provenit.

Sanguinem refluxum vehunt venae totidem: superior in venam sine pari terminatur, inferior in stomachicam coronariam sese evacuat.

## §. IV.

Praeter haec vasa sanguifera etiam multa habet Lymphatica, imprimis in ejus exteriori superficie, quae etiam variis glandulis congloba-

tis

tis cingitur, ad quas illa accedunt, priusquam in ductum thoracicum terminentur.

## §. V.

Nervi, qui etiam satis copiose per huncce canalem distribuuntur, ex ramis imprimis octavi paris ipsis, & a laryngeo recurrente, proveniunt.

## §. VI.

Ufus oesophagi cuius notissimus est, quare de hoc verba facere non duco necesse, praeterquam quod etiam ex ipsa denominatione pateat; oesophagus enim est vox graeca composita ex *ὄλω fero* & *φάγνμα*, quod *alimentum* significat.

## §. VII.

Haec de Oesophagi naturali statu breviter memorata sufficiant: cuius integritas in omnes vitae functiones maximum habet influxum, nulla enim alia versus ventriculum via est, qua talia possit accipere, qualia quotidie ad nutritionem aequae ac incrementum in junioribus, ad reparationem continuo motu perditarum partium in adultis, concoquere, digerere & in chylum convertere necessario debet. Si haec ergo via praecludatur, cessat digestionis & concoctionis actio, deficit chylus, vacua redduntur intestina, vasa lactea collabuntur, ductus thoracicus lac venae subclaviae infundendum non accipit, sanguificatio cessat, secretionum fons plane exhauritur, & cito de tota humana machina actum est.

## §. VIII.

Non obstante hac utilitate summa oesophagi in oeconomia humana, hocce organon, cui plurimam sanitatis & protractae vitae partem debemus, non raro tamen inevitabilis & praematurae quasi mortis exsistit causa, & licet providum, omniaque in salutem nostram vertens NUMEN, tutissimam illi concesserit sedem, ac talem dederit fabricam, ut contra leviores laesiones sese facile possit defendere; multas tamen ex ipsa partis natura praedisponentes, plurimas ex usu occasionales profluere causas, quae ejus actionem vel difficilem reddere, vel plane impedire possunt, ratio docet, & confirmat tristes experientia.

Hasce causas describere & observationibus vel ex Auctoribus allatis, vel a fide dignis Viris mecum communicatis, vel a me ipso visis, confirmare animus est in sequentibus.

## §. IX.

Ad ipsam itaque tractationem pathologicam & practicam morbi Depulsionis alimentorum impeditae transiens, in hac materia pertractanda sequentem observabo ordinem, ut

1°. Brevi tabella morbi initium, decursum ac finem sibi narraturus;

2°. Examinem illas causas, quae vel directe, vel per sua effecta, oesophagi actionem quovis modo laedentes depulsionem ciborum difficilem reddere vel impedire possunt;

3°. Ex hisce praesentibus vel praegressis, atque concomitantibus effectibus & symptomatibus in morbi indolis cognitionem inquiram;

4°. Re-

4°. Regulas prognosticas ex malignitate vel benignitate harum omnium vel ominosas vel faustas eliciam; & tandem

5°. Subjungam varias curandi methodos, varietati causae constituentis accommodatas, quae in tristi hoc morbo a Medicis, plerumque autem proh dolor! infausto cum successu, adhibitae fuerunt.

Quibus 6°. superaddam illas Historias Anatomico-pathologicas hujus morbi, quarum mentionem jam feci in Introductione.

## C A P U T   S E C U N D U M.

### GENERALIS MORBI DESCRIPTIO.

#### §. I.

**I**mpedita alimentorum per oesophagum Depulsio est morbus plerumque fallax, in initio levis & vix morbi nomen mereri visus; in progressu vero, quoad effecta sese clarius manifestans, quoad causae proximae indolem vero fere semper Medico dubium relinquens.

Est quasi hostis, qui per insidias atque latebras subdole irrepens, suas copias tacite & paulatim adauget, donec tantas acquisiverit vires, ut quibusvis auxiliis, sero nimis allatis, pertinaciter resistat, ac tandem obsessae provinciae plenariam inducat ruinam. Antequam enim ulla adsit mali perceptio, saepe causa formalis jam adest, hac autem evoluta, aegri imminenti periculi dubia incipiunt sentire signa, ita tamen, ut nondum videant necessitatem ab Arte auxilium petendi, sensim tamen sensimque, cum crescente morbo-

§ SPECIMEN ACADEMICUM

sa conditione incommodi incrementum percipiunt, donec cogantur urgentibus symptomatibus ad Medicum confugere, a quo tunc frustra saepe auxilium implorant.

Fixa jam adest mali sedes, manifestum est obstaculum, quousque admittuntur satis facile alimenta, ultra quod autem vel neutiquam, vel vix nisi cum adhibita vi & magnis moliminibus protruduntur! Quandoque juvat prona corporis inclinatio per aliquod tempus; quandoque ope tubi (a) in oesophagum inmissi ingerenda assumuntur, vel instrumento (b) huic operi adaptato propelluntur; alias prudenter & tarde deglutiendo malum diu absque magna molestia ferunt alii, qualem novi Foeminam hac in urbe, quae jam per triginta annos coacta fuit solidos cibos in minima secare frustula & subtilissime masticare, ac parvis simul dosibus deglutire, ne cum anxietatibus magnis rejiciantur, sana tamen hac sub diaeta & hilaris vivit: dantur etiam, qui sola fluidorum assumptione, difficulter quidem, tamen diu vitam protrahunt, sic ut in hisce malum tempus Vitae destinatum nequaquam videatur minuere.

§. II.

Saepissime tamen malum ita increscit, ut haec omnia nihil juvent, sed plenaria capacitatis fiat abolitio, tunc oriuntur insignes anxietates ad quaevis deglutiendi conamina, & frequenter cum murmure gargar-

---

(a) Vid. Cl. v. GEUNS *Act. Harlem. L. c. p. 119 & 120.*

(b) Vid. PHIL. SALMUTH. *Obs. Med. Chir. Centur. 3. Obs. 16. p. 119.* ubi post febriam diurnam oesophagi torpor remansit, ita ut ope digiti vel bacilli cibos propellere coactus esset aeger: vid. etiam ST. V. D. WIEL *Obs. rar. T. 2. Obs. 27.*

garizantis ingerenda multo commixta mucō rejiciuntur. Haec symptomata in nonnullis desinunt pro tempore, donec fame incitati iterum cibos assumere tentent, quando eadem renovatur tragoedia: in aliis etiam perdurant symptomata, quamvis ab actione tubus quiescat: patiuntur aegri anxietates intolerabiles; vexantur flatibus dolorificis, torquentur ingenti fame, & defatigantur ad incredibilem quandoque copiam mucī, nunc tenacioris nunc tenuioris, excreatione, emaciatur corpus ad speciem sceleti usque, ita, ut praeter ossifera cutimque parum remanere videatur; debilitatur quam maxime totum corpus; humores non reparantur a chylo, & vitae actione, acrimoniam contrahunt; oriuntur leipothymiae, asphyxiae, & tristissima vita, propter exhaustos nutritionis fontes, atrophica tandem morte terminatur.

## §. III.

Descripta modo ratione morbus procedit, si oriatur a causis obscuris in initio levibus & fere imperceptibilibus, quae lente increcendo miseras hasce sequelas producunt. Quandoque vero cito & violenter hominem aggreditur, & in summum vitae periculum ab initio jam statim conjicit, si producat a talibus causis, quae subito & violenter agunt, quas etiam in posterum recensebimus.

## §. IV.

Hae causae saepe tales sunt, ut indolem suam jam statim clarius monstrent, & si occasio apto loco arripitur, dextrae Medicinae nonnunquam auscultent, ac permittant, ut aegri plenarie in pristinam sa-



nitatem restituantur: aliquando autem, licet tollantur, in parte, quam occupaverunt, talem relinquunt conditionem, ut miseri in modo memoratum chronicum malum incidant homines, dum etiam existant exempla, ubi vitam inopinanter cum subitanea morte commutaverunt (a).

En, Benevole Lector, absolutam Morbi Historiam prout sese diversimode habeat, transeo ad Causas.

## CAPUT TERTIUM.

EXHIBENS CAUSAS IMPEDITAE ALIMENTORUM  
DEPULSIONIS PROXIMAM ET REMOTAS.

### §. I.

**P**roxima alimentorum impeditae Depulsionis Causa consistit in imminuta aut plane abolita oesophagi capacitate, producta a diversissimis conditionibus in ipso vel extra illum haerentibus, quae sic diversimode quidem ejus actionem laedunt, omnes tamen eundem similemve praestant effectum.

### §. II.

Haec est nostri morbi causa, uti vocant, proxima, quae ut producat, necesse est fiat nonnullarum conditionum concursus, quarum  
aliae

(a) Vid. BOERHAVII descript. Morbi atroc.

aliae corpus ita disponunt, ut in hunc morbum quasi pronum ruat, aliae vero occasionem subministrant, qua fit, ut feminio in corpore latenti accedente debita ac conveniente conditione, qua in actum deducatur, hic enascatur morbus. Priores conditiones dicuntur Semina, causae proëgumenae vel praedisponentes, posteriores procatarticae causae sive occasionales: utriusque generis praecipuas nunc considerabimus.

## §. III.

Phalangem ducant Causae Praedisponentes, quarum notabiliores sunt sequentes.

1°. Morbosa fibrarum Rigiditas, cujus fontes a Divo BOERHAVIO (a) ejusque clarissimo Commentatore, tam ample sunt expliciti, ut ulteriore examine neutiquam indigeant. Hac fit, ut nimis lente circumferantur humores per sua vasa, stagnet in receptaculis, acrimoniam induant, sicque variis incommodis ansam subpeditent: & si in fibris ipsius oesophagi adsit haec causa, sequuntur facile harum torpor, abolitio contractilitatis, ac indissolubilis fere tandem induratio.

2°. Contrarium solidorum vitium non raro similibus prorsus effectibus ansam praebet.

3°. Aetas senilis; quatenus communem fontem constituit tardioris circulationis, obstructionum varii generis, solidorum rigiditatis morbosae, ac resolutionum fibrarum muscularium, unde modo memorata mala prosuunt.

4°.

---

(a) Vid. Aphor. Cap. de Fibr. Rigid.

4°. Sexum utrumque huic morbo recipiendo aptum statuimus. Clarissimus MAUCHART (a) putat, sexum masculinum prae foemino dispositionem ad hunc morbum alere, dum alii Auctores contrariam opinionem amplectuntur. Utrumque sexum morbo hoc affligi, annales medici comprobant; utrum autem masculinus prae sexu sequiori in hunc morbum magis proclivis sit, aliis dijudicandum relinquo, quum res ardua nimis mihi sit accuratam observationum computationem inire. Ego autem puto, in sexu virili praevalere nonnullas conditiones, quibus proniores sunt in hunc morbum a causis ex nimia rigiditate fibrarum oriundis, dum iterum in foeminino etiam frequenter oriatur ab aliis conditionibus, quae in sexum virilem non ita incidere possunt.

5°. Inter praedisponentes causas quam maxime merentur recenseri valida & ingrata animi pathemata, quae viam aperiunt spasmodicis quarumcumque partium affectionibus, quibus in consensum rapitur oesophagus, circulatio turbatur, humores corrumpuntur, stagnant, acres fiunt, & alicubi deponuntur: inprimis autem huc faciunt pathemata tristiora, ut moeror diuturnus, ira atque livor (a).

6°. Potuum aquosorum ut & spirituosorum abusus: hi enim indurationibus, excoriationibus, inflammationibus ansam praebent, illi laxitatem morbosam fibris inducunt, dum uterque variis dyscrasiis humorum viam aperit.

7°. Inter hasce causas reponi debent variae Cacoehymiae, quae  
ad

---

(a) In Dissert. egregia de *Struma Oesophagi* in Tom. II. Dissert. Chir. Cl. HALLERI.

(a) Vid. A. DE HAEN de *Deglutitione vel deglutitorum in cavum ventriculi discensu impeditis* p. 25.

ad vasorum glandularumque obstructions producendas non parum suam symbolam conferunt: inprimis huc faciunt cacochymia serophulosa, rachitica, venerea; revocanda huc etiam acrimonia cancerosa, sive adsit ex haereditaria labe, sive ex infectione contrahatur, sive ex causis occasionalibus proveniat: omnes enim haec aequae ad oesophagum, ejusque adjacentes partes glandulosas, quam ad alia deponi possunt organa.

8°. Inter causas, quae recipiendo hunc morbum corpus adaptant, memorari debet lenta humorum Spissitudo, quae ab abundante in sanguine materia terrestri & solidorum corpore producitur, unde fere in omnibus senum cadaveribus, tam vasorum, quam variarum partium musculosarum tendinosarum ac membranarum, ossificationes aliaeve indurationes inveniuntur.

## § I V.

Haec sunt Causae nostri morbi sic dictae proëgumenae, nunc illas, quae Procatarticae vocantur, enumerare aggrediemur: inter quas

1°. Loco recensentur varii ipsius oesophagi morbi praegressi vel praesentes, quo inprimis pertinent inflammatio, suppuratio, abscessus, induratio, excoxiatio, spasmus diuturnus, paralyfis, expansio sacciformis, concretio, degeneratio quaecumque atque ruptura.

2°. Adjacentium partium variarum variae affectiones, v. g. Pulmonum aliorumque organorum pectoris, Aörtae, Diaphragmatis, Hepatis, Glandularum dorsalium &c.; quae quovis modo agentes oesophagi actionem turbant, sequuntur.

3°. Illa denique, quae forinfecus admota nocent, considerabimus.

## §. V.

Oesophagi Inflammationem angustiam cavi ejus producere posse certum est, adsunt enim tensio & tumor partium praeternaturalis, praeterea dolor immanis blandissimorum etiam assumptionem non fert, ad quaevis deglutiendi conamina auctus, ita ut ad ipsius salivae, etiam vel blandissimi olei olivarum adtactum spasmi exoriantur dolorifici admodum. Si in abscessum abeat inflammatio, donec rumpatur, hujus mole saepe penitus clauditur, sic Clar. Promotor mecum communicavit, se Groningae vidisse dysphagiam lethalem a collectione puris inter spinae vertebrarum corpora atque inferiorem pharyngis superioremque oesophagi partem: non raro autem fit, ut ea in Indurationem terminetur, unde fibrarum inertia atque ineptitudo ad propellendum id, quod debet ingeri, incrassatio parietum, concretio parietum inter se vel cum adjacentibus partibus, quibus fieri potest, ut (vita sub multis meseriis per aliquod tempus protracta) tota substantia tunicarum oesophagi degeneret, exedatur, imo & perforetur.

Licet morbus ille rarius occurrat, ejusque pertractatio forte ideo ab omnibus fere Systematicis sit omissa, inflammationem tamen veram in Oesophago oriri posse, talesque post se relinquere sequelas, non tantum a priori ex magno nervorum vasorumque numero, quibus instructa haec pars est, & ex violentissimis ac frequentibus occasionalibus, quibus exposita est, causis evincitur; sed etiam experientia omne de hujus rei veritate dubium tollit; quum fide dignissimo Praeceptoris VAN DOEVEREN testimonio mihi constet, quater sibi hanc inflammationem occurrisse, scilicet bis Groningae semel in Viro & semel in Foemina, & toties Lugduni Batavorum; in Foemina gravida hoc mor-

bo correpta, itidemque in alia: quas copiosa V. S. & aliis, quae requirebantur, antiphlogisticis remediis ita in sanitatem restituit, ut omnes vita frui perrexerint, eaque, quae gravida erat, apto partus tempore sanum pepererit infantem. Memini, me ipsum ante aliquot annos, postquam Fratri carissimo scarlatina febre maligna extincto continuo adstiteram, inflammatione in faucibus correptum fuisse, comitantibus dolore acerrimo, febre continua acuta cum delirio satis valido, dum plenarie eram privatus potentia nixum deglutionis edendi: abibat malum hoc in suppurationem, ita, ut abscessus formatus doloris quidem ac febris afferret remissionem, sed omnium aequae potulentorum ac esculentorum transitum impediret: rupto autem eo, & cructata magna puris quantitate, sensim sensimque pristinum oesophagus recuperavit vigorem, quo & adhucdum laete gaudeo (a). Non autem semper ita felicibus nobis esse licet, talis enim abscessus saepe aliam sibi quaerit viam, ac perforat tunicas oesophagi, ita ut exteriora versus rumpatur; vel, quod frequentius fit, abit in indurationes indissolubiles, scirrhosas, ipsamve gangraenam: & licet talis abscessus feliciter rumpatur, atque materies purulenta evacuetur per os, fieri tamen potest, ut aperturae factae remaneant, aut cicatrices majores formentur, quae viam quodammodo primo angustant, deinde autem continua assumptorum irritatione incrementum, & plenariam tandem producant obturationem canalibus ad vitam adeo necessarii.

Excoriationes internae tunicae vel a decidente crassa aphthosa  
(quod

---

(a) Conf. Obs. quae invenitur similis apud ST. V. D. WIEL Obs. 25. Tom. 1.

(quod saepius fit), vel à defectu muci viam lubricantis, vel ab ingestis nimia mole, scabritie, fervore, rosione, austeritate aut acritate peccantibus productae similia possunt praestare effecta.

Spasnum diurnum Depulsionem ciborum impossibilem reddere posse, nemo dubitabit, qui modo observarit, quam difficile sit, foeminis hysteris in paroxysmo remedia exhibere, propter validam, quae tunc locum habet, oesophagi constrictionem, tam vehementem, ut longo etiam post paroxysmum tempore de sensu globi in faucibus haerentis conquerantur. Assumptio liquidorum in Hydrophobia correptis videtur propter eandem inprimis causam nullatenus admitti (a). Exstant etiam observationes spasmodum oesophagi diurnorum, quae viam alimentis versus ventriculum praecludunt (b). Clarissimus Praeceptor N. G. OOSTERDYK in Praelectionibus Practicis de morbis oesophagi agens nobiscum communicavit, se vidisse talem oesophagi spasmum duodecim dies durantem sine aliqua remissione.

Contrarium huic recensendum vitium, scilicet Atoniam & paralyin fibrarum muscularem oesophagi tunicam constituentium, Veteres jam descripserunt: Clarissimus J. FREIND in Historia Medicinae (c) scripsit, illa, quae ab Arabe AVENZOAR dicto dicuntur de Gulae relaxatione aut interclusione, ex qua sequitur alimenta devorandi impotentia, nova esse, neque a Graecis aut Arabibus ullo modo explicata: quod tamen falsum esse, patet ex tractatu Clarissimi VAN

GEUNS

(a) Vid. H. RIDLEY *Obs.* p. 117.

(b) Vid. *Medical Essays and Obs. of Edinburg* T. I. *Obs.* 28. ZIMMERMANN in *Actis Helvet.* Tom. 2. p. 94. & alibi: conf. Cl. SAUVAGESII *Dysphagiae* Spec. 1, 2 & 9. in *Nosol. Meth.* Tom. 2. p. 78, 79, 81.

(c) Vid. *Operum* T. 3. p. 249.

GEUNS (a), qui perhibuit hocce vitium a GALENO jam observatum fuisse. Hoc autem vitium diversimode nostram causam proximam producere potest, id est vel collapsu parietum ad se invicem, unde aliquando fit, ut solida pondere suo obstaculum hoc superent atque propria gravitate descendant, ubi fluida, quae leviora sunt, redire coguntur, quales Observationes a FABRICIO HILDANO, BALLO-  
NIO, aliisque captae apud SCHURIGHIUM (b) satis copiose recensentur: vel & alio modo nostrum morbum producere potest; exstat nimirum Observatio oesophagi, cujus inferior pars non tantum erat collapsa, sed etiam a superiore parte in saccum alimenta retinentem relaxata ita comprimebatur, ut tota via esset intercepta atque occlusa (c).

Recensendae quoque hic sunt quaecumque ipsius substantiae oesophagi degenerationes scirrhusae, carcinomatosae aliaeque: talis oesophagi morborum inspectionem mihi benevole concessit aestimatissimus Praeceptor E. SANDIFORT: nimirum erat gula ex hominis adulti, impotentia deglutendi defuncti, cadavere dissecta; in vivente, quod deglutiebat haesit circa ventriculum & redibat in os cum spuma: in praeparato oesophago & per longitudinem secto apparebant parietes solito crassiores atque indurati, & tota interna substantia videbatur degenerata in tumorem oblongum scirrhusam inaequabilem, tubi capacitatem penitus delentem. Imo exstat observatio oesophagi adeo degenerati, ut sectione cadaveris impotentia alimenta etiam liquida versus ventriculum depellendi defuncti, inveniretur tota ipsius substantia de-

ge-

---

(a) Aët. Harlem. Tom. XI. p. 27.

(b) In Chylogia Hist. Medica Cap. 5. §. 10 & II. p. 250. & seqq

(c) Vid. Medical Essays and Observ. vol. 2. §. 10. cf. VAN GEUNS p. 99.



generata in massam tenacem viscidam atque putridam coloris obscure bruni (a).

Non incongruum fore duco huc raram observationem conferre, à Doct. GRASHUIS cum Academia Caesarea N. C. (b) communicatam quae mirabilem quoque a statu naturali aberrationem exhibet. De virgine agit, quae, postquam per septem menses dirissima impeditae alimentorum Depulsionis symptomata passa fuerat, tandem placide exspiravit, in cujus oesophago variae & tam singulares occurrebant degeneraciones, ut operae pretium sit anatomiam ejus ex Actis desumptam hic adjungere. „ Integumentis dissectis & elevato sterno, pulmones omnino naturales conspiciebantur, nisi quod hinc et inde maculae purpureae apparerent, quasi sanguine conglumato infarctae; nusquam pleurae adhaerebant, vel ullo modo erant adnatae; cor sanum erat & naturali simile; in medio pectoris aliqua quidem induratio sentiebatur, ad latus & dorsum tendens, juxta corpora vertebrarum, nondum autem peculiare corpus intumescens; separabatur pulmo sinister paulo magis ab ejus vasis & partibus contiguis simul cum aspera arteria, ut oesophagus nudus oculo adpareret: haftenus autem nihil observari poterat, nisi quod Oesophagus circa medietatem pectoris praeternaturaliter amplificatus videbatur, & quo ad tactum durus maxime versus latus sinistrum. Ipso tandem parva iucisione aperto oesophago, statim exiit sanguis coagulatus, huncque remotum, statim sanguinolenta & ichorosa materies excipiebat, magna in copia; Oesophagi membranae nunc instar digiti minoris crassae videbantur. Di-

gitus

---

(a) Vid. *the Monthly Review* for November 1779. seu Vol. LXI. p. 391.

(b) *Act. Phys. Med. Tom. IV. Obs. 73.*

gitus intra factum foramen inmissus offendebat durum quoddam & carnosum tuberculum, posteriori parti oesophago non solum adnexum, sed etiam firmiter affixum corporibus vertebrarum a cujus latere inferius alterum simile aderat: digito circumquaque converso a dextro oesophagi latere magna quasi spelunca inveniebatur, ovi anserini magnitudinis, quo loco tunicae valde tenues erant, inferius naturalis erat magnitudinis et capacitatis; idem autem magis dissectus ad longitudinem quatuor circiter pollicum ejus erat crassitiei, ut antea dictus durus, insuper & callosus fere albicantis coloris; haec durities oblique juxta corpora vertebrarum ad earundem partem posticam pergebat: inter oesophagum & vertebrae porro haerebant carunculae multae, quae sanguinem fundebant quando separabatur oesophagus a vertebra; qui ibidem loci firmiter spinae adhaerebat.

Nec inutile erit, quoniam in antea memoratis Commentationibus Actorum Harlemensium adduci nondum potuit, adduxisse Observationem de Viro fame consumto ab Osseam oesophagi angustiam, quam nuperius descripsit Cl. J. D. METZGER (a). Laborabat Auriga Celsiss. Comitis Benthem. ex abusu spirituosorum angustatione oesophagi, ita ut solidi cibi descendere non possent, pergebat adhuc in hisce utendis contra consilium sui Medici, donec lecto affixus emaciatus ac debilitatus moreretur. Examine cadaveris anatomico apparebat oesophagi tractus, qui asperae arteriae subjacet, angustatus, contractus, & in osseam substantiam induratus; per longitudinem etiam discissus nihil naturalis fabricae monstrabat, sed tunicae ita erant degeneratae in ut massam irregularem organicam exhiberent.

Tan-

(a) Vid. ejus *Adversar. Med. Vol. I. p. 175. Traj. ad Mosam 1774. ed.*

Tandem uter causas in ipso oesophago haerentes memorari debent Concretiones parietum cum adjacentibus partibus eorumque Rupturae, quas in eodem subjecto simul adfuisse, & lethalem Dysphagiam produxisse, docuit sectio cadaveris, cujus descriptionem ad calcem hujus Dissertationis addere lubet, unde ut major capi possit utilitas, necessarium duxi praemittere morbi Historiam, qualem diligenter dum aegrotaret Foemina, quae morbum illum habebat, notandi habui occasionem.

Ceterum, qui dictarum similliumve Causarum ampliorem expositionem desiderabit, adire poterit uberrimos illarum fontes, quos aperuerunt Viri Clarissimi jam nominati ANT. DE HAEN, M. V. GEUNS, P. NAHOIS, quibus addi possunt HALLERUS (a), TRILLERUS (b) aliique.

#### §. VII.

In classe causarum in adjacentibus partibus haerentium, imprimis in censum venire debent variae ventriculi, hepatis, diaphragmatis, pulmonum & glandularum-dorsalium affectiones, nec non aortae aneurysmata, & spinae incurvationes, aliaque vitia.

#### §. VIII.

Inter Ventriculi affectiones, quae huic malo generando suam symptomam

---

(a) *Elem. Physiol. Tom. VI. p. 100, 101.*

(b) In *Diff. singul. de Fame leth. ex Callosa Oris Ventric. angustia*, vid. *Opusc. Med. ejus Tom. I. p. 1. ut & HALLERI Collect. Diff. Pract. T. III. p. 31.*

bolam conferunt, memorari imprimis meretur inflammatio, quatenus producit spasmos oesophagi violentissimos, & si ad superius orificium locum habeat facile suppurationem & cicatricem, imo & frequentissime ejus callosam producit indurationem, quae toties lethalis jam observata est (a).

Eadem mala produci possunt ab acido forti in ventriculi cavo praedominante, atque frequentius eructato, quale locum habuit in javene quodam, quem vidit Clarissimus VAN DOEVEREN eructantem materiem acritate oleo vitrioli quasi similem, cum terra effervescentem, atque vernicem tabulae, in quam forte illa effundebatur, derodentem: qui etiam Auditoribus narravit, se in homine morbo nigro laborante observasse atrabilariam materiem vomitu rejectam adeo acidam, ut dentes roderet, & stanneae matulae, in quam eructabatur, fundum macula alba inficeret, veluti ab acidis corrodentibus fieri solet. Talis certe austerae acidaeque aeternitatis effectum ad Dysphagiam producendum multum contribuere posse, nemo negabit.

Hepar inflammatum etiam singultus difficillimi atque pertinacissimae oesophagi constrictiones saepe concomitantur; vel & si hujus visceris sinister lobe induretur, vel mole increseat quavis de causa, hic sua compressione iter assumendis praeccludere potest (b): quod & facit Diaphragma, si laboret similibus modo memoratis malis, vel si fortiter constringatur.

Pal-

---

(a) Vid. de hac TRILLERUM in Disput. citata: doct. quoque GYSER Argent. 1770. de eadem Cardiae Callositate Dissertationem edidit, quam citat Cl. MESSERER l. c.

(b) V. MORGAGNI de Sed. & Caus. Morb. Ep. XXVIII. §. 17.

Pulmones vario modo morbose constituti, non solum comprimendo, sed etiam, propter arctam contiguitatem, cum oesophago crescendo, vel morbosam, quam induerunt constitutionem ei communicando, ad producendum nostrum morbum conferre videntur, uti ex HAENII observationibus (a) & Casu a nobis allato concludi potest (b).

Frequentissime vero omnium partium adjacentium peccant Glandulae oesophagi conglobatae (c), atque Vesalianae harum indurationes & praeternaturale incrementum saepius quam aliae causae nostrum morbum producunt, uti plurius doceat observata. Quandoque tamen & alia corpora glandulosa oesophago adjacentia tumore & induratione tali peccant: sic in utraque Figura, quam delineandam curavi, & ad calcem hujus Dissertationis apposui, adfuit glandulae talis morbosa magnitudo: in adultae nempe Foeminae oesophago, ille tumor, qui infra glandulam thyroideam oesophago adjacet (Fig. I & II. gg\*), videtur nil aliud esse, nisi glandula conglobata in praeternaturalem molem aucta; dum alter tumor, qui in juniore corpore ad divisionem arteriae asperae apparet (Fig. IV & V. d.) videtur ex Vesalianis esse, propter locum, quem occupat, & quia nonnullae aliae hujus generis minores tamen, a statu naturali aberraverant: Quae observatio non absimilis TULPIANAEE, quae glandulas asperae arteriae accumbentes morbosas exhibet (d). Quidquid sit, ex hisce figuris saltem patet, hasce glandulas posse indurari, mole au-

geri,

(a) ANT. DE HAEN *Traët. cit. pag. II.*

(b) Vid. infra *Cap. VI. Obs. I.*

(c) Vid. HALLERUM *Elem. Phys. T. I. p. 139. & seq. & T. 3. p. 150 & 151.* cf. autem inpr. de hisce cl. VAN GEUNTS *l. c. p. 64.*

(d) *Obs. Med. L. I. Obs. 44.*

geri, oesophagum comprimere, atque lethalem Dysphagiam producere.

Porro inter has partes adjacentes numeramus Aörtam, quae volumine aueta, uti in aneurysmatibus fit, adjacentem oesophagum certo certius debet in actione turbare (a).

Quascunque pectoris partes, de generatione & induratione corruptas, oesophagum ita comprimere & angustare posse, facile quilibet agnoscet, qui attente legerit effectus Steatomatis istius, quod in Ill. Comitum S. Albani cadavere invenit & descripsit saeculi nostri & Academiae Leidensis ornamentum BOERHAVIUS (b). Thymi glandulae indurationem posse nonnunquam etiam Dysphagiae ansam dare, patet ex observationibus, quas in elaboratissimo suo Commentario, qui praemium Societatis Harlemensis reportavit, adduxit Clar. VAN GEUNS (c). Pericardium intus contentis expansum oesophagum quoque ita afficere posse, patuit mihi in cadavere Juvenis 20 circiter annorum, quod hac hieme dissecei, & cuius Historiam Anatomicam ad calcem Dissertationis tertia Observatione addidi.

Spinae incurvationem raro ad tantum procedere gradum, ut hinc cibi per oesophagum descendere non possint credimus quidem, at tamen incurvatio illa non parum contribuit ad majorem ciborum vel potuum fervidorum, gelidorum, asperorum, austerorum, acrium, scabrorum similiumque allisionem, & attritum, ad parietum oesophagi  
late.

---

(a) Talis observatio existat in *Hist. Acad. reg. scient. Paris. anni 1700. p. 278. & apud MORGAGN. l. c. Ep. XVIII. §. 22.*

(b) *V. Atrocis Morbi Hist. alt.*

(c) *L. c. pag. 75.*

latera; adeoque mali nostri initia facere & progressum promovere haud parum posse videtur. Luxationem spinæ difficilem Depulsionem producere quoque posse, videtur concludendum ex GALENI loco, quem citavit SWIETENIUS (a).

## §. IX.

Enumeratis jam Causis nostri morbi occasionalibus, quae ex ipso oesophago vel partibus adjacentibus profluunt, recensendae nunc illae sunt, quae in remotiori parte haerentes Nervorum systema ita afficiunt, ut canalis cibarii fiat angustatio. Sic observata est impedita alimenterum Depulsio a materia viscida tenaci ventriculos cerebri obfidente (b), qua fiebant aliarum partium spasticae constrictiones & etiam oesophagi, ita ut inde penitus obturaretur. J. J. WEPFERUS (c) observavit deglutionem impeditam ab hemiparalia, WINCLERUS (d) post apoplexiam: in S. N. etiam certissime haesit illa causa Dysphagiae moralis, quam ROSINUS LENTILIUS allegat (e): erat nempe Foemina, quae omnia esculenta & potulenta prompte poterat deglutire, excepta Hostia consecrata, quam, licet adhiberetur vis ut versus ventriculum descenderet, semper revomit.

## §. X.

---

(a) *Comment. ad Aph. BOERH. Tom. II. p. 647.*

(b) *Vid. BONET. Anat. Pract. L. 1. Sect. 13. Obs. 15.*

(c) *Obs. Med. Pract. p. 141.*

(d) *Vid. WEPFERI Hist. Apoplectic. Obs. 13. p. 464.*

(e) *Vid. Ephem. Acad. Nat. Curios. Cent. 7. Obs. 61. p. 125.*

## §. X.

Inter illa, quae forinfecus admota nocent, inprimis referri debet abusus nonnullarum Rerum non naturalium; praecipue huc pertinent Cibi & Potus acriores, aromatici, ut & glaciales, (a) qui dera-  
dendo mucum, rodendo internam tunicam, atque constringendo fibras musculares, adeo possunt angustare tubi capacitatem, ut identidem major deglutendi oriatur difficultas; idem hoc a nimis fervide degluti-  
tis exspectari debet. Inprimis autem nostro malo producendo multum conferre observantur Potus Spirituosi acidi, austeri, qui non solum memorata modo acritate mala in oesophago producunt, sed etiam flui-  
da ita corrumpunt, ut praecipue systema glandulosum hinc patiatur: fere semper enim in cadaveribus illorum bibaculorum, qui spiritu Ju-  
niperi vel Vini suam vitam sustentari posse credunt, & his etiam fere solis aluntur, ventriculum valde contractum, naturali multo minore capacitatem praeditum; & glandulas mesenterii obstructas atque indura-  
tas invenimus: eadem ergo ratione oesophagus constringi, & glandu-  
lae huic adjacentes possunt indurari, ut harum potentiarum nocentium concursu noster Morbus producat: quemadmodum prae ceteris do-  
cuit exemplum illud Aurigae Benthemensis supra (pag. 19.) adductum. Inter rerum non naturalium abusus referri hic debet nimia Tabaci fumigatio, quae sui amatoribus (quidquid Nostratum multi sibi & aliis obtrudere cupiant) certissime plura damna, quam emolumenta, profert: in illis enim, qui salivam, ob irritationem glandularum hanc

fe-

---

(a) Quos raucitatem insanabilem produxisse scribit ST. V. D. WIEL l. c. T. I. Obs. 27.



secernentium, copiosius in os affluentem, continuo excernunt, privatur Corpus humore ad masticationem, deglutitionem & concoctionem valde necessario: in iis autem, qui salivam hanc fumo mixtam deglutiunt, acritate, qua inepta fit ad munera sua peragenda, variis modis nocet, rodit tunicas, obturat vasorum exhalantium oscula, exsiccat partes internas, & in insuetis systema nervosum ita turbat, ut veneni effecta ab hisce deliciis prima vice gustatis experiantur, quae & in assuetis non plane cessant, licet mitiora. Praeterea accedit huc, quod, dum de siccitate oris & excoriatione faucium conqueruntur, convivae remedium quaerant in proverbio *ore vinoso bene fumatur*: repetitur hoc saepius, utuntur saepe vino crudo, imprimis rubro austero, strenuae sua procula deplent, ut abluantur partes exsiccatae & aridae fauces reficiantur, dum suo damno saepius postea experiantur, quod hoc in „ *accensis ignibus ignis erat*.

Porro hic recenseri debent Corpora heterogenea deglutita, mole vel acritate nociva, quorum ergo nonnulla haerent in oesophago, & obturant canalem, ita, ut cita insequatur suffocatio, nisi apta instituta medendi ratione, sive per remedia, sive per instrumenta chirurgica, educatur hostis: alia apicibus suis sese tunicis infigunt easque violententer atterunt, laedunt, pungunt, rodunt, inflammant, imo & perforant nonnumquam, imprimis si accedat fortior fibrarum ad sensum molesti & praeternaturalis stimuli contractio: qualis etiam persaepe metuendus a violentis remediis emeticis propinatis, aut ab applicatione instrumentorum propellentium, in quorum itaque usu summa requiritur prudentia, & plerumque palliando & expectando certius tutiusque medela affertur, quam nimia sedulitate multa agitando, trudendo, propellendo.

Evacuaciones solitae suppressae ad nostrum Morbum generandum multum faciunt, imprimis Mensium, Haemorrhoidumque: hinc enim saepe fiunt congestiones & stagnationes humorum particulares; quod dum ad alias partes fieri quotidiana observatio docet, non est cur negemus fieri ad Gulam.

Perspirabilis si supprimatur materies, fieri quoque potest, ut oriantur obstructions in glandulis ipsius oesophagi vel ei adjacentibus, ipsisve ejus parietibus & organis vicinis, quae aliquando sunt pertinaces, & in ipsas indurationes indissolubiles abeunt. Hocce anno die 12. Aprilis vidi Foeminam Frisiacam triginta novem annorum, quae per totam vitam prospera usa erat valetudine, (sed quinque sanis infantibus gaudens filiam suam natu majorem sexdecim annorum, ex suppressione mensium deglutitione impedita laborantem, anno praeterito e vivis raptam retulit,) ipsa elapso tunc dimidio anno magnum subierat frigus, post quod sentiebat difficilem alimentorum in ventriculum descensum: resistentia, quae iter ingerendorum retardabat, erat prope cardiam, & sensim major evadebat ac molestior. A Chirurgo quodam auxilium petiit, qui mali causam derivabat a mucro tenaci obsidente ventriculi orificium, & ideo praescripsit vomitorium, post cujus assumptionem jussit, ut aegrota ingereret ingentem quantitatem aquae tepidae: consilium hoc in usum fuit vocatum, sed sine optato eventu; cum nausea enim oriebantur insignes anxietates circa praecordia, & parum ingestae aquae evacuari potuit, licet ventriculus saepius convelleretur. Ab hocce Viro ejusque medicamentis ergo nullum solamen accipiens pro tempore sese fato suo tradidit: incrementibus vero molestis in assumptione alimentorum, usa fuit consilio vel Ve-

tulae vei Medicaſtri (perinde eſt utrum hominum genus fuerit, utrumque enim Medicinae peſtis eſt:) hoc conſilium conſiſtebat in eo, ut aliquoties de die aſſumeret doſin certam Spiritus Juniperi amari. Quod remedium, dicam potius venenum in hoc caſu, ultra quatuordecim dies continuavit, maximo cum ſuo detrimento, nam inde malum ita increvit, ut jam in miſerrimam redacta ſit conditionem, ſic ut omnibus ſolidis iter jam penitus denegetur, imo lac dulce vel juſculum tenue ſaepius haereat ad obſtaculam, & cum mucro tenaci redire cogatur, aliquando tamen ſine multa moleſtia tranſeat in ventriculum: habitus Corporis jam valde macilentus eſt, vexatur ſubinde anxietatibus circa pectus & doloribus ad cardiacam, etiamſi nulla conamina perficiat ad ingerendum cibum: menſes ipſi regulariter, ſed parce, fluunt, alvus eſt clauſa, pulſus bonus, reſpiratio ſatis bene etiam peragitur. Menſe Aprilis ad incitas fere redacta conſilium tandem rationalis Medici ſumſit, qui cauſam mali in induratione cardiacae ponens, poſt infauſtam factam prognofin, praefcripſit diaetam tenuem, eupeptam & euchy-  
mam, cautelam a refrigerio, & medicamenta reſolventia nonnulla, ſed, uti facile erat praevidere, nimis ſero, quum paucos poſt dies patrios lares repetens, apud ſuos brevi mortua ſit. Patet in hoc caſu, probabiliter refrigerium nimium fuiſſe cauſam perſpirationis ſuppreſſae atque reſuſſionis & ſtagnationis humorum acrim ad haec partes; & videtur quoque verofimile ſi haec Aegrotata in initio mali ad idoneum conſugiffet Medicum, quod forſan in ſanitatem potuiſſet reſtitui; dum, poſt imprudentem uſum vomitorii, atque nocivam aſſumptionem ſpiritus Juniperi ad peſſimum ſtatum jam delata fuerit, priuſquam juſtam medelam quaefiverit aut experta fuerit: quod frequen-

quentissime fieri in hoc morbo, merito querentes audimus Practicos, ad quos dum fero nimis accedunt aegri plerumque etiam

*Sero Medicina paratur!*

---

## C A P U T   Q U A R T U M.

DEPULSIONIS IMPEDITAE SYMPTOMATA ET  
DIAGNOSIN PROPONENS.

### §. I.

**S**ymptomata, quae in crudelissimo hoc morbo occurrunt, non minus tristia quam gravia sunt: illa, quae à causa proxima (*Cap. III. §. 1.*) dependent, ut plurimum inter se conveniunt; observantur tamen in uno, quae in alio aegro non occurrunt, sicque à se invicem differunt: quae differentia, non ita ab ipso morbo dependet, sed potius debet quaeri in diversitate causarum occasionalium, aliarumve conditionum accidentalium, uti aetatis, temperiei, sexus ac vitae generis.

### §. II.

Generalia autem symptomata, atque omnem depulsionem impeditam concomitantia, sunt sensus difficilis cujusdam obstaculi, quasi trabis, in quadam oesophagi parte, superiore, media vel inferiore, quo usque alimenta perveniunt, ubique sistuntur in suo progressu versus ventriculum. Solet quidem hujus mali lentum incrementum esse,

in initio vix sanitatem laedens, in fine autem violenter hominem crucians (cf. *Cap. II.*) nisi fit casus acutus, v. g. inflammatio, catarrhus, spasmus, vel si producat ab heterogeneo quodam corpore in oesophago haerente. Aequo tamen passu non progreditur, aut eadem violentia agit, sed aliquando adest mali remissio, paulo post exacerbatio nova: caeque remissiones & exacerbationes symptomatis illius sunt longiores vel breviores, pro varietate causarum & accidentalium conditionum, quae in aegrorante adsunt. Fames solet intolerabilis esse; fauces obsidentur saepe muco spissiore, qui etiam magna quantitate evacuatur, imprimis eo tempore, quo aegri aliquid ingerere tentant, aut jam ingesserunt; emaciatur corpus, cacoehymicum fit & cachecticum; omnes functiones debilitantur & languent, fames definit, & atrophica tandem mors morbum terminat. Rara fit mala eradicatio. Haec sunt generalia symptomata, quae constanter in omni oesophagi angustatione morbosa adsunt.

### §. III.

Sunt tamen & alia, quae dependent a varia conditione morbosa, quae in causa est, ut oesophagi capacitas minuatur: horum autem innumera series est, & diversitas adeo magna, ut in singulis aegrotis alia atque alia occurrant. Quum ergo eorum enumeratio deberet consistere in compilatione verborum variorum Auctorum, & repetitione illorum, quae in Casibus a me observatis notata sunt, nec non in *Cap. II.* jam sunt memorata; hisce inhaerere longius nolo, ne attentione & patientia Lectoris abuti velle videar, & quia scopus meus est Specimen Academicum, non vero Librum conscribere: unica ergo tan-

tum

tum observatione addita, ad Diagnosin nostri morbi exhibendam tran-  
sibo; Cl. Praeceptor OOSTERDYK mecum communicavit, sese in  
Vetula, dysphagia cum febre remittente laborante, observasse Aphthas  
albas, copiosas, facile tamen solubiles, praegressa jam diu alvi con-  
stipatione pertinaci admodum, quae unde originem traxerunt, du-  
bium est; forte ex cacochymia per inediam diuturnam orta.

## §. I V.

Cognoscitur Morbus ex praesente difficultatis sensu, in quadam oeso-  
phagi parte, ad propellenda alimenta; ex regurgitatione frequenti in-  
gerendorum per os & nares; ex copiosiore solito muci in os affluxu;  
& ex emaciatione corporis.

Ex hisce signis praesentibus facile possumus concludere, adesse De-  
pulsionem alimentorum impeditam. Utinam eorum causae tam facile  
erui possent! sed contrarium semper locum habere, omnes, qui tali-  
bus aegris adfliterunt, dolent Medici. Aliquando quidem in collo,  
si in superiori quadam parte haerent, sese oculis vel tactu perquiri &  
cognosci permittunt; saepissime autem fomes magis inferiora versus  
haeret in pectore reconditus, & attentissimos quoque Medicos fallit,  
quod in Cadaverum dissectionibus (quae tamen propter nefandam vul-  
gi superstitionem a consanguineis plurimis in casibus negatur) patet.  
Si autem cultro anatomico tale cadaver traditur, tunc quandoque oc-  
currunt quaedam conditiones morbosae, de quibus, dum vivi adhuc  
erant aegroti, nunquam Medentes cogitaverant, aut cogitare pote-  
rant. Quid ergo in tantis rerum tenebris est agendum? Non licet, me  
quidem iudice, Medico in hisce plane quiescere, & miseros illos  
mor-

Mortales suae forti relinquere, sed oportet, ut sedulo inquirat, an ex causis praegressis vel symptomatibus praesentibus, si non ad certam, ad probabilem saltem fomitis hujus morbi indolisque cognitionem pervenire possit, eaque forsitan occasionem acquirere auxilium qualecunque ipsis procurandi.

## §. V.

In acutis casibus res saepe satis clara est. Sic v. g. inflammatio ex violentissimis, quibus comitantur doloribus, ex febre acuta continua praesente, ex praegressis causis inflammationi generandae aptis, satis facile cognosci potest. Spasmus ex causis praegressis eos producere solitis, aut inprimis ex manifestis remissionibus & exacerbationibus, debet cognosci: hae in omnibus casibus, & à quibusvis causis oriundis, adesse quidem observantur, si autem a solo spasmo morbus oritur, lucida adsunt intervalla, ita quandoque, ut pro tempore ab omnibus molestiis liberi sint aegrotantes, & nulla adsint morbosae conditionis signa; pro tempore iterum deinde tam validas oesophagi constrictiones subeant, ut, cum anxietatibus atque doloribus, iter ab ore versus ventriculum penitus clausum sit. Si a Corpore heterogeneo deglutito, atque in tubo haerente, malum oriatur, ex narrationibus ipsius aegrotantis vel adstantium, atque exploratione ope stili balenacei saepe certo causa & sedes morbi inquiri potest.

## §. VI.

In illis autem casibus, ubi a levibus primordiis ortus morbus est,

Me.

Medicorum plerumque causa latet, & quandoque etiam est distinctu impossibile an praesens Dysphagia indurationi oesophagi ipsius, an compressioni glandularum aliarumve partium adjacentium, an paralyti debeat adscribi; quum aliquando nulla horum morborum certa signa in vivis occurrant, ubi tamen, si cadaver examinatur, aliquando una vel altera, aliquando plures, imo quoque omnes memoratae conditiones occurrunt.

Iustam tamen habemus causam, cur credamus adesse Paralytin muscularium oesophagi fibrarum, si fauces ad conspectum sunt pallidae atque collapsae. Aliquando autem, cum oculos fugit mali sedes profundior, signa petenda sunt 1<sup>o</sup>. ex aetate senili, quae, propter quotidie decrecentem vim vitalem, quam maxime disponit ad partium musculorum resolutiones; 2<sup>o</sup>. probabile est, malum a paralyti oriri, si praegressi sunt morbi, qui etiam in aliis partibus talem conditionem relinquunt; 3<sup>o</sup>. praegressae evacuationes majores, sive nimia copia sanguis sit detractus, sive alii humores copiosius, quam par est, effluerint, quorum autem omnium nimia seminis jactura plurimum facit ad hanc affectionem; 4<sup>o</sup>. signum paralytis est descensus facilius solidorum quam fluidorum.

Si autem sentitur locus, quousque perveniunt, ubique remanent alimenta, absque rejectione, tunc conjecturam Sacci in oesophago formati facere licebit.

Ab oesophagi ipsius Induratione malum oriri credimus, vel a Tumoribus in eo formatis illud excitari, si 1<sup>o</sup>. tales praegressae sunt causae, quae hosce generare possunt, v. g. arrosiones tunicae internae, inflammationes, abscessus & aliae, de quibus antea vidimus. 2<sup>o</sup>. Si adsit aetas senilis cum universali solidorum Rigiditate, praeci-



pue si malum incidat in subjecta, quae dedita sunt vel antea fuerunt abufui potuum spirituosorum, acriorum aromaticorum, cum forti tabaci fumigatione, vel etiam in hominibus, qui potus aquosos & cibos feruide deglutire amant. 3°. Denique, si instrumento exploratorio firma opponitur resistentia.

Induratas glandulas denotant in nostro morbo 1°. Temperamentum laxum pituitosum frigidum. 2°. Atrophia, quam etiam aliarum glandularum, praesertim conglobatarum, comitantur tumores. 3°. Morbi Catharrhales frequenter praegressi, quorum recidivae minima de causa concipiuntur in dispositis, & sic facilis occasio humoribus stagnandi in suis glandulis inde nascitur. 4°. Sedes mali: quae est vel in collo ad laryngem, vel in thorace ad divisionem asperae arteriae in Bronchia, vel ad locum illum ubi Thymus in junioribus conspicitur, vel etiam ad superius ventriculi orificium; quale specimen in Physiologico Museo Cl. Praeceptoris VAN DOEVEREN servatur: quo & reduci potest ille tumor glandulosus, in nostra Observatione I. Cap. VII. memorandus, quem exhibet Figura III. adnexae Tabulae. 5°. Resistentiam hoc in casu non tantam offendit instrumentum, quod ad explorationem immittitur, quam ubi oesophagus ipse induratus est: sed hoc quasi monticulum supercandit, & ultra obstaculum protrusum facile penetrat versus inferiora, hinc etiam, quando malum nondum ad maximum gradum progressum est, percipitur sensus quasi lateraliter juxta oesophagi parietem descenderent alimentata. 6°. Probabilitatem maximam, oesophagum ab adjacentibus glandulis comprimi, petimus ex eo, quod Cacoehymia hasce obstructions etiam in aliis, quae visui sese praebent, partibus producens, in corpore praesens sit, qualis est strumosa, rhachitica, cancrofa, similisve.

Alia

Alia mala adjacentium partium v. g. Aörtæ aneurysmata, Pulmonum vicia, morbi Hepatis, Diaphragmatis aliorumque organorum varii, ex propriis sibi signis debent cognosci, quae, dum in omnibus Practicorum Systematibus enumerantur, nostra repetitione non indigent.

Quando malum valde complicatum est, signa solent esse adeo confusa, ut ex hisce nihil certi Medico concludere liceat: & plerumque quidem res sese ita habet, saltem in sex Aegrotantibus, quos hoc morbo laborantes vidi, nunquam certa, hanc vel illam conditionem morbosam praesentem indicantia, signa me vidisse memini.

## C A P U T Q U I N T U M.

### MORBI DYSPHAGIAE PROGNOSIN SISTENS.

#### §. I.

**P**rognosis consistit in sequentibus. Dysphagia Morbus in genere est periculosissimus, rarissime sanationem, aliquando palliationem admittens, ut plurimum autem in longum protractus lenta morte terminatur.

Sunt autem gradus in periculo pro diversitate atque gradu causae constituentis diversi: dantur enim causae, quae certam producunt inevitabilemque mortem; dantur, quae licet non quidem possint sanari, tamen, si recte tractentur, vitam non destruunt; possunt etiam adesse tales causae, quae, minori pertinacia atque periculo stipatae,

jubent, ut non omnem sanationis spem abjiciamus. Videamus breviter de singulis.

§. II.

Lethalem eventum praedicere debemus 1°. Si malum oriatur ab oesophagi partiumve adjacentium scirrhusa Induratione; haec enim certo non auscultat resolventibus remediis: saltem nostris in regionibus plurimi Medici atque Chirurgi testantur, se in vero scirrhuso nunquam à resolventibus, licet fortioribus, remediis, tales effectus vidisse, quales nonnulli de iis scribunt. Streatomata in pectore certius quoque, & sine ullo dubio, huc spectant. 2°. Neque curari morbus potest, si oritur ab Excrefcentiis fungosis vel carcinomatosis in cavo oesophagi, de die enim in diem talis causa in pejus ruet, donec clauso penitus tubo mors diu exspectata insequatur. 3°. Idem periculum adest, si Spina dorsi adeo sit incurvata, ut hujus angulus parietes oesophagi ad se invicem comprimat, aliudve ejusdem visium Dysphagiam producat. 4°. Aneurysma magnae arteriae dysphagiam producens raro finit, ut in longum protrahatur, sed saepius cito, semper certo, interficit afflictum hominem. 5°. Lethalem eventum declarare possumus, si oritur morbus a callosa oris ventriculi induratione, quod malum frequentissimum esse patuit ex Auctoribus supra citatis pag. 21. (a). 6°. Fatum lethale est, si via ciborum per talem praecludatur Saccum, qualem Bristoliensis Medicus LUDLOW observavit & antea citavimus ex actis Medicorum Londinensium (b). 7°. A posteriore concludere licet, in compli-

---

(a) Vid. etiam cl. VAN GEUNS *l. c.* pag. 68. 123.

(b) Vid. *Cap.* III. §. V. pag. 17.

plicatione illa malorunt, quam in Foemina illa, cujus morbum observavi, inque *Cap. VII* describam, similibusve, nullam sanationem locum habere posse, quaecumque etiam adhibeantur remedia.

## §. III.

Morbus diu potest perferri atque tolerabilior reddi aegris & passibiliari, si atonia vel paralysis fibrarum oesophagi muscularium impedit, quo minus rite peragatur deglutitio: si enim neque stimulo remedium roborum neque electrico possimus prodesse, habemus instrumenta, quibus protrudere vel injicere possumus sat magnam alimentaris materiae quantitatem, ut vita sustentari possit. Nec dubitari potest, quin dietarum antea causarum nostri morbi variae sint, quae possint lente procedere, aut ab idoneis remediis ita corrigi, ut per annos durent: qualia exempla varia existant in Commentario saepe memorato *cl. VAN GEUNS*, & quidem speciatim illa observatio, quam ei suppeditavit *doct. STINTRA*, de Foemina quinquagenaria, topica, ut videtur, ulceratione laborante (a). In pigritia fibrarum oesophagi ab incipiente rigiditate haud parum valere poterunt resolventia, diluentia, emollientia, similiave remedia.

## §. IV.

Non autem semper spem radicalis sanationis abjici omnem debere, patet exinde, quod possint adesse causae minori progressu, violentia &

---

(a) Vid. *Acta Harlemens.* T. XI. p. 166.

& pertinacia praeditae, quae sanationem quandoque admittunt, nam sublatis causis tolli etiam effecta poterunt. Sic v. g. sanabile malum est, 1<sup>o</sup>. Si oriatur ab Inflammatione, novimus enim, omnis partis inflammationem, si in optabilem abeat resolutionem, imo etiam si supuratione facta abscessum formet, sanari adhucdum posse; idque uti ratio docet, ita & experientia confirmat. 2<sup>o</sup>. Si oriatur morbus a spastica oesophagi, cardiae, vel diaphragmatis Constrictione, sanari quoque poterit: ita tamen, ut prudentissime sit cavendum etiam à levissimis occasionalibus causis, ne recidiva concipiatur; quod satis cito fit. 3<sup>o</sup>. Sanabile quoque malum est, si ab non insanabili plane Intumescencia glandularum in collo jacentium oesophagus comprimatur; haec enim tum internorum remediorum ope, tum applicatione cataplas-  
matis vel emplastri resolventis, frequenter & fere quotidie tolli solet, nec tolli certe omnino respuet, ubi compressio superioris partis oesophagi ab ea excitatur. 4<sup>o</sup>. Sanationis spem habemus, si adsit talis oesophagi, vel glandularum, vel viscerum, aliorumve organorum adjacentium obstructio, induratio, aliave comprimens oesophagum affectio, quae non sit indolis scirrhusae, & resolutionem ex sua natura admittit. Videmus enim, aliarum partium musculosarum ac glandulosarum indurationes resolvi posse ope remediorum resolventium, uti sunt succus Cicutae, Antimoniata, Mercurialia, Gummi ferulacea, Aqua marina, Extracta amara &c. (a), quae in hisce casibus adhiberi sequente Cap. apparebit. Sic in Infante ex pertinaci acido ventriculi valde emaciata, ac duro ventris tumore cum manifestis mesentericarum glandularum

---

(a) Vid. *Act. Harlem.* T. XI. p. 112. & seqq. & pag. 231.

larum indurationibus laborante, Bilem animale cum Syr. Cichorei tanto cum effectu exhibui, ut, quae ex inedia moriturae speciem referebat, puellula brevi tempore perfecte sana sit reddita, & habitus corporis ejus ita sit mutatus, ut jam multa pinguedine niteat. Cum autem adesse possiat indurationes glandularum oesophago adjacentium, quae ejusdem sunt indolis, sequitur, quod hisce in casibus a remediis resolventibus tempestive adhibitis idem expectare liceat. 5°. Tandem sanari poterit oesophagi obturatio, si producatur a Corpore heterogeneo deglutito, & accedat statim Chirurgus dexter, qui pro ratione conveniente illud ulterius in ventriculum propellat vel extrahat sursum.

## C A P U T S E X T U M.

DE CURATIONE DEPULSIONIS ALIMENTORUM  
IMPEDITAE.

## §. I.

**M**edicus ad sanandum Dysphagiae morbum vocatus in omni Aegrotante nec potest nec debet eodem procedere modo, sed diversimode agendum ipsi est, prout varia constitutio corporis, morbi duratio, symptomatum numerus & violentia, causarum diversitas, virium ratio, aliaeve accidentales conditiones postulabunt. Statuimus autem, ne omnium illorum Indicantium examine in nimium extendatur hoc Caput, in omnibus in genere Curam sequentibus Indicatio-  
nibus

nibus absolvi posse, ita ut nunc haec, nunc illa vel altera, in Aegrotis adhibeatur. I<sup>a</sup>. Jubet ut tollatur Causa Depulsionis alimentorum impeditæ proxima; II<sup>a</sup>. Ut, si non possit haec tolli, mali progressus prohibeatur, & corporis vires sustententur; III<sup>a</sup>. Ut symptomata molesta & urgentia mitigentur, & Vita, quamdiu fieri Arte potest, conservetur.

### §. II.

Primæ Indicationi satisficit, si removeantur causæ remotæ angustationem oesophagi nimiam producentes: quum autem hae admodum sint diversae, diversa quoque requiritur medendi methodus ut spartam nanciscamur: quem in sinem in hac §. breviter hasce exponam, quatenus accommodari possint ad varias istas Dysphagiae species, quas in ultima §. Cap. V. vidimus non omni sanationis spe destitui. Quum vero ab Auctoribus antea laudatis haec res sedulitate & accuratione magna fuerit tractata, B. L. a me non multa expectabit, quae eorum laboribus adjici possint, & brevitatem me amplexum fuisse, facile excusabit.

A.) Si ab Inflammatione oesophagi angustia producat, antiphlogistica tota cura esse debet, modo ne talia adhibeantur, quae directe parti affectae applicata suo stimulo nocent, quare nitrosa, acida, salina, in aliis inflammationibus tam utilia, hic interne non possunt in usum vocari. Verum post venaesectiones in brachio, pro intensitate inflammationis atque constitutione aegrotantis, audacter repetitas, conveniunt illa, quae diluunt, demulcent, humectant & sensilitatem affectae partis moderant, uti sunt Linctus, Decocta, Julapia mucilaginosae & leniter refrigerantia: quum autem saepius fiat, ut nulla pe-

nitus

nitus medicamenta ingerere possint aegrotantes, in externis remediis solamen quaerere debemus, inter quae potissimum conveniunt Cataplasmata emollientia & resolventia dorso applicata, ad illum locum, ubi dolor sentitur, vel Fomenta aut Emplastra eodem scopo intervenientia. Si autem occasio sit instituendi Balneum calidum totius corporis, capite excepto, nullum scopo melius respondens, quam hoc, putaverim remedium; aperiuntur enim ejus efficacia pori inhalantes, humores diluuntur, & resolvuntur spasticae quarumcumque partium constrictiones. Si autem huic non datur aptus instituendi locus, per Clysmata diluentia, resolventia, saponacea idem praestare conabimur, quae tum etiam primario conducent, quando, propter summam Oesophagi inflammati sensilitatem, nulla, vel non sufficientia, ingeri poterunt Remedia Antiphlogistica. Sed omnibus hisce absque successu tentatis, Vesicatorium in usum vocandum est, & ad dorsum applicandum, ut hoc vi sua resolvente ac revellente idem praestet ac in aliis inflammationibus internis, in quibus salutare suos effectus toties exseruisse observatum est Practicis non nimium meticulosis & male prudentibus.

Siquae haec omnia nihil juvent, & ad Suppurationem inflammatio transeat, quod ex remittentibus quodammodo febre atque dolore, & permanente (si non aucto) angustationis sensu, cognoscitur, omnia conveniunt, quae ad maturationem atque rupturam abscessus aliquid conferre possunt. Ubi ruptus fuerit abscessus, & pus ex corpore eliminatum, in id laborandum est, ut ulcus curetur: interim quoque spasmi, pro quorum majore vel minore efficacia etiam dysphagia gradu multum differt, compescantur talibus remediis, quae illis opponi solent, adjunctis simul, quae ulcus depurant, & ad ejus consolida-



tionem faciunt. Communicavit mecum Celeb. OOSTERDYK, sese in tali casu cum successu exhibuisse Mixturam anodynam & subadstringentem sequentem in paroxysmo, ℞. *Aquae Naphae* ℥ ij. *Tinct. Croci* ℥ iβ. *Laud. pur.* gr. j. *Mell. Rosacci* ℥ iij. M. subinde ad parvum cochlearculum assumendam; & extra paroxysmum exhibebatur sequens remedium, ℞. *Mell. Rosac.* ℥ iβ. *Gumm Arab.* ℥ i. *Myrrh. Elect.* ℥ i. *Cort. Peruv. Elect.* ℥ iij. *Syr. Rosar. rubr.* q. f. M. fiat Electuarius accurate mixtum, ejus omni hora, vel quovis bihorio, parvum cochlearculum assumi debebat.

Si vero exitus Inflammationis fuerit in Indurationem, multa moliri non debemus, ne absque fructu aegris plus incommodi & noxae quam emolumenti afferamus: sed emollientibus atque humectantibus progressui mali istius prospiciendum est, cavendo sedulo ab omnibus calidis, acris, stimulantibus, adstringentibus, frigidis, gelidis, quae affectam partem irritando facile ad callosam, scirrhosam, imo cancerosam indolem morbi producendam contribuerent.

B.) Spastica oesophagi Constrictio pertinax saepe & curatu difficilis est impeditae Depulsionis causa, & eo quidem frequentior, quo sensibilibior est tubi alimentaris tota substantia fibrosa admodum & nervosa, quoque ideo magis plerisque oesophagi affectibus sese ut symptoma adjungit. Ut haec sanetur, tolli debent causae, quae spasmus produxerunt: quod pro eorum diversitate vario modo tentari debere per se patet. Caeterum ab Opiatis, Antihysterics, Fomentis, Cataplasmatibus & similibus (a) praecipuum auxilium expectamus.

dum

---

(a) Vid. *Act. Harlem.* T. XI. p. 111. & 163.

dum in plenaria praeclosure, ad qualemcumque corporis nutritionem suggerendam, Clysmata nutrientia non sunt omittenda.

C.) Simili modo procedendum est in cura Paralyseos oesophagi: sollicitate praeterea inquirendae sunt ejus causae, & cognitae hae quovis meliore modo corrigendae, dum per stimulantia Roborantia (a), intus assumta atque extus applicata, nec non per stimulum electricum, oesophagi pristinus tonus instaurandus est: impotentiae autem cibos ingerendi interim succurrimus Instrumento idoneo alimenta propellendo adaptato (b).

D.) Si vero malum oriatur ab Indurationibus ipsius Oesophagi vel adjacentium Glandularum, ad remedia, quae hisce resolvendis apta reperta sunt, confugiendum est. Hoc scopo laudantur Extracta resolventia, inter quae succus Cicutae inspissatus primum tenet locum: Gummi ferulacea etiam in usum vocari possunt: laudem merentur quoque Salia alcalina (c), quae non tantum vi resolvente conveniunt, sed etiam ad temperandum acidum, quod in debili aegrotantium ventriculo generatur, & cardialgias molestas ac flatu dolorificos excitat. Efficacissimam autem resolventem vim invenimus in remediis Mercurialibus atque Antimonialibus, vario modo praeparatis: fateor, non nullos, inter quos expert. Chirurgum (d) TITSING, non multum usui Mercurii favere, imo putare potius illum nocivum esse; Mercurii tamen propinationem tutam atque utilem iavenerunt alii Observatores,

eam-

(a) Vid. *Act. Harlem.* T. XI. p. 110.

(b) Vid. HIER. CAPIVACCII *Prax.* L. I. Cap. 53. & MAUCHART *Diss. cit.* §. 25.

(c) Vid. v. GEUNS *l. c.* p. 115 & 170.

(d) Vid. *Verdenk. Heelk.* p. 577 ad 584.

eamque aequè in Oesophagi ac aliarum partium pertinacibus indurationibus satis certo profuisse, sua experientia demonstrarunt (*a*). Hinc combinatio variorum illorum Resolventium laudari meretur, qualem Celeb. v. DOEVEREN in Juvene, ex hac causa depulsionem impeditam habente, cum successu adhibuit, scilicet Mercurium cum succo inspissato Cicutae & Sulphure aurat. Antim. (*b*). Majorem adhucdum efficaciam exspectat cl. PLENCKIUS ab usu Mercurii vivi cum Gummi Arabico soluti, & forma liquida praescripti, qui etiam in Aegra  
 nostra

(*a*) Vid. *Med. Essays of Edinburg* Tom. I. Art. 6. HALLER *Elem. Phys.* T. I. p. 89. & T. VI. p. 101. v. GEUNS in *Act. Harlem.* T. XI. p. 112—14. NAHUYs ib. p. 231. SANDIFORT *Biblioth. Physic. Med.* T. IX. p. 243.

(*b*) Vid. Observationem apud v. GEUNS *l. c.* p. 160. Placuit eidem Praeceptorum mecum communicare, non semel deinceps ab eodem vel simili Remedio insignè levamen se notasse, mihiq; occasionem nuper praebuit sequentem instituendi Observationem. „ Virgo quaedam quadraginta quinque annorum, cui menses per annum fluere cessaverant, denuo parva sanguinis quantitate per genitalia evacuata, fluxum nullum postea patiebatur: dein vero versus finem anni 1779. corripiebatur sensu difficilis alimentorum descensus prope cardiam, qui sensim adaugebatur. Soliti sui Medici tum consilio utebatur per aliquod tempus: sed quia malum non satis cito cessabat (fieri uti in hoc morbo frequenter solet) adiit Medicastrum, & quidem Theologum, curationis medicae corporis scientiam, non minus quam animae curae, sibi arrogantem, qui aegrotanti pollicebatur, se intra breve tempus istius mali sanationem peracturum esse. Praescripsit eo scopo incognitos Pulveres aliquot, ut partitis vicibus illos assumeret; eventus autem non adeo faustus fuit, quam promissum, nam post assumptos nonnullos eorum correpta fuit Ancilla nostra anxietatibus violentissimis & vomitu dolorifico, quae symptomata per quatuor horas & ultra durabant, quamobrem, & quia malum in oesophago nequaquam minuebatur, residuis redditis pulveribus, atque solutis iis, quibus usa fuerat, huncce hominem reliquit, & meliore consilio usa adiit ante aliquot hebdomadas memoratum Celeberrimum Praeceptorem, ejusque consilio, cum Dysphagiae levamine & habitus corporis emendatione, nunc utitur sequentibus remediis pro resolvendis glandulis: *Rp.* Succ. insp. Cicut. verae ʒvj. Calomel. ʒß. Sulph. Antim. Aurat. ʒj. M. f. pil. N. CXX., quarum sumat mane & vespera duas pilulas: & quoniam malum non raro augeri cernebatur a constrictione oesophagi spasmodica

nostra fuit adhibitus (a). Externae etiam frictions Mercuriales optimo cum successu adhiberi possunt (b).

E.) Si ab aliis adjacentium Partium morbis non insanabilibus oesophagi angustia producat, uti Pulmonum, Aortae, Diaphragmatis, Hepatis &c. pro varia eorum indole, & diagnosi, quam rationalis de illis format Medicus, cura etiam varia erit instituenda.

F.) Si a Corpore heterogeneo deglutito atque in oesophago haerente via intercipiatur versus ventriculum, convenit venam secare, si metus adsit instantis vel praesentis inflammationis, haustuque repetito Aquae, aliusve potus, aut & Olei, tentari, num versus ventriculum, oportalis vehiculi, deferri possit: quod si non succedat, Ars Chirurgica in auxilium erit vocanda, ut illud apto modo extrahatur: & si non statim possit extrahi, debet versus ventriculum protrudi methodo, quae exhibetur cum delineatione instrumenti in Actis Edinburgensibus (c). Si autem

nec

---

modica illud comitante, nec non dolorosa ejusdem organi affectione, simul data Aegrotae fuit Mixtura haec omni bihorio, vel pro re nata & urgente necessitate, cochleatim assumenda, pro mitigandis hisce querelis: *Rp. Aq. Meliss. Aq. Rutae aa ʒ iv. Pulv. Castor. gr. viij. Laud. liq. Syd. gutt. xij. Syr. Artemis. ʒ j. M.* Cujus salutaris, qualem nuperrime nunciavit, ut ulterius deprehendatur effectus quam maxime exopto. „ Verendum autem est, ne & haec Aegrotata plerorumque sequutura sit exemplum, nec expectatura lentum curationis eventum, sicque, licet levamen habeat, ad alium Medentem se conferat, priusquam prudente satisque diu protracto Remediorum usu malum superari possit.

(a) De quo tamen conf. Cl. A. P. NAHUYNS in *Act. Harl. T. XI. p. 232.*

(b) Vid. IDEM *l. c. p. 234.* ut & Cl. Praeceptor SANDIFORT in *Natuur en Geneesk. Bibl. p. 245. & seqq.*

(c) Vid. *Medical Essays Tom. I. §. 16.* conf. Comment. hac super re exp. MEVIN in *Memoir. de l'Acad. R. de Chirurg. Tom. I.* & cl. GUATTANI in *Eod.*

nec una, nec alia, operatio (quam cautissime instituendam esse jam supra inculcavi pag. 26.) successum habeat, [denuo multum boni praestabit copiosa assumptio Olei lini vel olivaram aliusve blandi liquoris, ut relaxetur tubus & lubricus fiat, atque sic ulterius descendere possit Corpus ei inhaerens (a).

## §. III.

Ut Secundae Indicationi (§. I.) satisfiat, cavedum est a causis occasionalibus, quae antea malo ansam praebuerunt. Ne affectae ergo partes irritentur, & malum in pejus ruat, abstinendum erit a cibis durioribus, asperis, fervidis, frigidis, valde acidis, austeris, ab omnibus acris, similibusve, a vino rubro austero, a spiritibus destillatis, a fumo tabaci, a refrigerio, abusu potuum aquosorum, ab animi pathematibus, aliisque antea memoratis. Sed conveniunt lenia resolventia, mucilaginosae, alvum leniter moventia, & evacuationes solitas regulariter & pro ratione virium promoventia: dum in hisce morbi conditionibus praestat cavere a stimulantibus aut dictis Resolventibus fortioribus, quippe Aegris magis nocituris quam profuturis. Denique & Diacta ex fluidis, tenuibus jusculis, aliisque blandis alimentis, & lacte ac lacticiis, quae sine majore difficultate & attritu depelli, a ventriculo debili facile digeri, & sub parva mole multum liquoris nutritii praebere possunt, multum hic conferre possumus.

## §. IV.

---

Op. Tom. II. nec non BAUVÉ ap. LENTERINK *Geneesk. Tydschrift* IV. Deel pag. 53. ex *Journal de Médecine* Tom. XXXI.

(a) Vid. SANDIFORT *Biblioth.* Tom. VII. p. 250. & seqq.

## §. I V.

Tertiae Indicationi (§. I.) satisfaciendum est, occurrendo symptomatibus singulis pro varia eorum indole, unde certa, omnibusque Aegrotis congrua, hic regula non potest exhiberi. Doloribus & anxietatibus occurrimus mucilaginosi, anodynis & antispasmodicis. Vidi sic, quando hisce paroxysmis laborabant, egregium effectum a Pulvere Castorei cum Oculis Cancrorum: optimum autem est, ut Eccoproticis alvus laxa teneatur ad praecavendas has anxietates. Vires sustinendae sunt diacra eupepta & euchyma ex lacte, jusculis carniū macilentarum atque ovis forbilibus; medicamentis roborantibus, cardiacis non stimulantibus, inter quae Cortici Peruviano, mollibus tamen obvolvendo remediis, primaria laus competere videtur; neque vituperandae sunt Aquae Martiales cum lacte, debito sub regimine potae. Si autem via penitus sit oclusa, & nihil ingeri per superiora possit, unicum remedium, quod superest, consistit in applicatione Clysmatum nutrientium (a); quae nimis negliguntur, aut saepe male sano pudore, aliave de causa, quemadmodum a nosua Aegrotā, plane respuuntur in talibus casibus, quum certo saepe multum boni ab hisce expectari posset (b).

(a) Methodo, quam proponit Cl. MAUCHART in *Diss. de Struma oesophagi* §. 25.

(b) Vid. MORGAGN. *de Séd. & Caus. Morb. Ep. An. Med.* XXVII. & TRILLER. *Diss. de usu Clysterum nutrientium*, quae quoque in ejus Opusculis Med. & Philol. invenitur.

## CAPUT SEPTIMUM.

CONTINENS OBSERVATIONUM PROPRIARUM TRIGAM,  
NEC NON FIGURARUM EXPOSITIONEM.

*Observatio I.*

**M**ulier trigésimum & octavum annum agens, habitus corporis modici, temperiei cholericæ, sex infantum mater, quorum bis gemellos pepererat, bis unicum enixa fuerat, prospera fere semper valetudine fruens, anno 1777. incepit queri de summis in ventriculo doloribus, ingrato derationis sensu sese manifestantibus, & ad transitum cibi potusve valde exacerbatis. Cujus mali solatium a Celebratissimo Medico quaesivit & tum feliciter quoque obtinuit; per aliquod tempus libera difficilibus hisce symptomatibus manens.

Anni vero proxime subsequenti mense Junio, obstaculum bolo per oesophagum propellendo, ad palmae supra cardiam altitudinem percipere coepit, & cibos in ventriculum modo transituros saepe multo mucro mixtos rejicere: in genere quidem omnia difficulter transibant solida, sed imprimis tamen farinaceis, ut pani & fabis (quas eo anni tempore copiose comedere solebat), ulteriorem descensum negabat obstaculum. Malo hoc sensim adaucto molestias jam tunc summas patiebatur, ita ut iterum ad eundem Medicum confugeret, qui resolventibus remediis actionem tubi alimentarii tantopere emendavit, ut, sine magnis conaminibus, facile cibos assumere & ad officinam digestoriam transferre posset.

Ejusdem

Ejusdem iterum anni autumno nostra alio morbo aegrotavit: cujusnam autem ille fuerit indolis, mihi non constat, quum alius tunc Medici consilio fuerit usa, & ipsa Foemina ejus symptomatum fuerit immemor, hoc tantum sibi in memoriam revocans, quod post ejus sanationem per aliquod tempus oesophagus promptius suo officio fungebatur, multo facilius cibos versus ventriculum ire permittens, ita ut molestum malum penitus eradicatum esse crederet.

Verum postea caput iterum efferre pristinum malum coepit, & majores Miserae creare molestias, ita ut, postquam ejusdem Medici consilio sine fructu satis diu fuerat usa, jam tertia vice sese Clarissimo Praeceptorum, qui hanc Observationem faciendi mihi ansam suppeditavit, obtulerit. Multo deterior quam olim nunc erat Aegrotantis status: nulla enim nunc supererat solidos cibos depellendi facultas, continua cum multo humore spumoso mucoso assumtorum regurgitatio, post praegressas summas anxietates, cum solitis signis, quae Dysphagiae facilem sistebant diagnosin. Unde praeter remedia nonnulla, ex urgente indicatione ipsi praescripta, necesse erat Aegrae suadere, ut solita sua corpori non proficua, maloque suo potius adversa, omitteret alimenta, atque usu lactis jusculorumque carnis tenuium cum farinaceis mollibus coctorum vires & vitam sustentare tentaret.

Quamvis maxime debilitata, tot & tam diu symptomatibus pressa, valde cacoehymica jam facta parvam vel nullam sanationis spem relinquere jam tum videbatur. Indicationem tamen secundam, antea propositam, sequi placuit, & tum ope dictae Diaetae, tum Resolventium remedium tentare, num vita Aegrotantis, quamdiu liceret, protrahi posset. Itaque praescriptae in his rerum angustiis fuerunt parvae Pilulae ex succo inspissato Cicutae, Sulphure Antimonii aurato,



talique Calomelae dosi, ut salivatio a Mercurialis remedii usu haud facile metuenda esset, jussimque, ut vel integras, vel lacte aut jusculo solutas, deglutiret illas Pilulas, & sic effectum, ut in corpore retinerentur, atque ventriculi cavum attingere, ejusque actionem subire cae possent. Interposita quandoque, prout symptomata & querelae dictabant, fuere analeptica, leniter cardiaca, antispasmodica, palliando potius quam morbum sanando destinata.

Licuit mihi ab hoc tempore cum cl. Praeceptoris venia Aegram nostram coram examinare, domi suae visitare, deque ejus statu saepius renunciare & sermones cum Eo conferre. Dicta sub diaeta, & debite memoratis adhibitis remediis, aliquamdiu satis manserunt vegetae vires ad tertium usque mensis Martii diem, a quo tempore violentia mali maximopere increvit, & in pejus abierunt quaecumque morbi symptomata: tunc nempe multo aëre distentus ventriculus magnas creabat anxietates, inque flatuum eructatione acerbissimos producebat dolores; invadebat & tunc simul febris cum pulsu parvo valde contracto & universali corporis summa debilitate; si quid ingerere conaretur, hoc jam transitum difficilem in collo offendebat, quo in loco antea nullum perceperat angustationis sensum: praeter hunc autem, etiamsi quiesceret ab actione tubus, continuo ibi loci aderat pressionis sensus, quem a muco inspissato atque in oesophago haerente produci illa, credebat, dum extus ad oculum vel tactum nullus detegi poterat tumor.

Proxime insequentibus diebus omnia remittebant symptomata, vires erant constantiores, sed fames insignis aegram vexabat: unde ad solidos cibos appetitu ferebatur, & sumsit frustulum panis, quod magnis moliminibus & corpore prono deglutire coacta fuit. Unde non  
tantum

tantum maximopere fuit fatigata, sed partibus affectis tantam quoque intulit vim, ut post meridiem cum copioso muco etiam quamdam sanguinis quantitatem evomeret, postque vomitum febre ac animi deliquio corriperetur: utebatur porro resolventibus, inprimis prudens usus fiebat Cicutae cum Calomela & Sulphure aurato Antimonii. Mercurius deinde, ob difficilem Depulsionem, praescribatur juxta methodum Plenckii cum G. Arab. & Syr. Artem. Omnia autem haec neque salivationem, neque optatum levamen, multo minus sanationem exhibuerunt, ita ut sensim illa assumere repudiaret, molestiaeque inde natae cogere ab eorum usu fere abstinere. Sensim itaque adeo fuerunt imminutae hujus foeminae vires, ut ex sola debilitate in quasi animi deliquio versaretur, neque fere loqui, neque sese movere potens, compos tamen mentis & rerum peractarum conscia, per inediae efficaciam in sceletum quasi vivum redacta fuerit.

Simul ac nunc lactis aliusve fluidi paulo majorem sumeret copiam statim illud revomit, commixtum particulis grisei coloris, odoris obscuri, subacidi, qui odor in rejecto muco, cui & interdum intermixtus erat sanguis, magis percipiebatur manifestus, & caseo corrupto similis si quid assumtorum parva simul quantitate ingereret, hoc perveniebat nequaquam ad ventriculum, sed restabat ad locum affectum, ibique summos cruciatus excitabat, cum anxietatum & deliquiorum continuo incremento: omnia denique mortem instare certissimam indicabant, quam clysmatibus nutrientibus, quantum fieri posset, differre tentatum fuit; sed eorum applicationem repudiabat Aegrotata, mortem praeferebat miserrimae vitae conditioni. Dolor interim quoque per totum corpus erat diffusus, inprimis vero in femore dextro tam dolorifica fuit sensibilitas, ut ad tactum integumentorum sine clamore non

ferret misera, dum extrinsecus nihil appareret, nisi quod magis esset emaciatum quam sinistrum femur.

Perrexit nunc continuo eructare materiem caseo corrupto similem, cum dolore magno & foetore molesto, putansque pulmonum suorum substantiam sic excreari hisce ipsissimis verbis mortem instantem indicabat, *Ik voel dat ik myn long reeds uytspuwe*: nihil nunc amplius assumens, cum leviuscula febre, per triduum adhuc jacuit, specie mortuae vivens, donec die 14<sup>o</sup>. Aprilis 1779. placide exspiraret.

Die 15<sup>o</sup>. Aprilis vespera, trigesima sexta circiter post mortem hora, cadaver examinans eum clarissimo PRAECEPTORE variisque Sociis, inveni in colli dextra parte, supra claviculam, carotidem inter & asperam arteriam, induratum Glandulam, habentem cartilagineam fere duritiem, circiterque ovi columbini magnitudinem (*Fig. I. & II. g.*): hinc usque ad septimam dorfi, a superioribus numerando, vertebrae oesophagus flaccidus erat, collapsus, sed ultra solitam dimensionem dilatatus (*h*): hanc autem circa vertebrae nova detegebatur durities & inspissatio, quae ipsum occupare oesophagum apparebat (*k*).

Cum pulmonem dextrum, a posteriore parte quodammodo pleurae accretum, manu sinistrorsum reclinare conabar, vi illa, utut levi, solvebatur adhaesio non tantummodo, sed laceratio fiebat, & ex foramine sic facto mox erumpebat materies albo-cinerea, spissa, grumosa, lac corruptum odore & habitu plane referens. Praesentiam vomicae illo in pulmone suspicans per factam aperturam immittebam digitum, & revera inveniebam faccum medio in lobo, amplum, dicto magmate repletum. Deinde prudenter digitum volvens revolvensque, ut de extensione ejus sacci judicarem, alterum offendo foramen

men (*i, i, k*) & per quod intrans digitus ipsissimam materiem offendit. Sublato post haec pulmone vidi, quemadmodum ex dictis praevisum erat, patulam ex oesophago in incumbentem pulmonem fuisse viam: neque recenter facta videbatur haec communicatio, quum margines dictam aperturam cingentes essent valde scabri, inaequabiles, incrassati, & viderentur etiam esse gangraenosi.

Infra hanc degenerationem oesophagus, parum inflexus, ad longitudinem trium fere digitorum transversorum (*ll*) eandem servabat duritiem, & ibidem tantopere per tunicarum spissitudinem diminutam habebat suam capacitatem, ut calamum scriptorium vix transmitteret. Ulterius vero malum non extendebatur, prope cardiacam etenim nullus tumor, nulla induratio, nihilque a statu naturali alienum apparuit, nisi insolita tubi oesophagei, quemadmodum reliquarum etiam partium, flacciditas (*m*).

Praeterea & hoc notandum, pulmonis dextri superiorem partem hic & illic exhibuisse puncta albida, ejusdem coloris ac erat materia in ipso pulmonis sacco praeternaturali contenta: inferior ejus pars nihil vitiosi exhibebat, praeter levem ad pleuram adhaesionem. Sinister pulmo integer erat sanusque, & ab omni morbofo nexu immunis. Tandem in cavo thoracis & pericardii insignis aquae foetentis, fuscaeque coloris, quantitas erat conspicua.

In cardia nihil notabile invenimus. Neque ventriculi parietes erant indurati, sed in ejus curvatura superiore, inter cardiacam & pylorum ad sinistram magis quam dextram partem, habebat glandulam induratam, superius memorata non multo minorem, ejusdemque duritiei ac coloris (*vid. Fig. III.*): adjacebant & huic corpuscula graniformia etiam dura. Caeterum ventriculus erat extenuatus & membranae pellucidae

similis, adeoque fragilis, ut sine laceratione a digitis aut vossella arripi vel tractari vix posset, & continebat aquam turbidam bruni coloris. Intestina omnia tenuia & crassa in naturali situ posita, itidemque valde extenuata, continebant scybala durissima nigra: vesicula fellea, uti in inedia extinctis fieri solet, magna erat, & bile turgidissima: hepar autem, & caetera organa, quae in abdomine continebantur, naturaliter constituta erant quoad mechanismum, sed valde flaccida, extenuata & mollia.

Totum denique Corpus valde emaciatum & quidem imprimis dextrum femur: in dissectarum partium vasis vix ullus observabatur sanguis, ita ut sectio hujus cadaveris fere incruenta fuerit.

Partes morbosas delineandas curavi in Figuris huic Dissertationi annexis, inque singularis rei fidem easdem in liquore spirituoso conservandas esse putavi.

Ex quibus patet, Aegram nostram, durante misera sua vita, non tantum vera Dyphagia laborasse, sed etiam, ex concretionem morbosam Pulmonis, affectione peripneumonica & insequente vomica: unde sanguinis excreatio, variae materiae & speciatim cremoraceae rejectio, & multa alia memorata symptomata explicari facile queunt.

#### *Observatio II.*

**I**n cadavere, Infantis quinquennis (quod pro anatomicis exercitiis acceperam, sed de cujus historia morbi mortem praegredientis nihil rescire potui, adeoque nihil etiam exponere queo) aperto Thorace, vasa ejus praeparandi scopo, paulo supra cordis basin, juxta latus dextrum asperae arteriae (*Fig. IV, d.*) percipiebam tumorem quemdam  
durum,

durum, qui tantopere versus anteriora prominebat, ut divisio venae cavae superioris inde valde comprimeretur & supra tumorem cum esset distincta, magis quam naturaliter esse solet. Pulmo dexter variis locis indurationibus laborabat, cujus etiam portio relicta est in objecto, quod in Spiritu Vini conservo (e). A parte anteriore autem quum nihil amplius conspici posset, eximebam omnia viscera thoracica: tum quoque a posteriore idem apparuit tumor comprimens pro parte oesophagum (vid. Fig. V. d, f.) non autem omnis hinc interceptabatur a faucibus ad ventriculum via, nec Dysphagiae effectus in vita Infantis adfuisse videbatur, quoniam habitus corporis magnam emaciationem non monstrabat.

Adduxi autem hanc Observationem, ut inde pateat successivus ille molestae Depulsionis gradus, induratae enim talis glandulae moles identidem, perdurantibus causis mali, major fieri solet: si ergo haec glandula in respiratione (nam dexter pulmo inde plurimum comprimebatur) & circulatione turbas non tantas excitasset, & infans hiece aliquod tempus adhucdum vixisset, probabile est, quod capacitas oesophagi magis magisque inde inminuta & Dysphagia tandem producta fuisset.

### Observatio III.

Liceat mihi ex propriis meis Observationibus Anatomico-pathologicis etiam sequentem hie apponere, quae ad illustrandum morbum, quem in hac Dissertatione tractavi, mihi quoque aliquid conferre posse videtur. Juvenis viginti circiter annorum elapsa hieme moriebatur anxietatibus validis & summis ad praecordia doloribus. Aperto cadaveris thorace Pulmones, multo magis quam naturaliter versus late-

ra erant repressi per Tumorem magnum in medio pectore apparentem, extus habentem formam massae pinguedinosae, ingentis magnitudinis. Ulteriore vero examine apparuit, illum esse pericardium valde degeneratum, quod ad basin cordis erat admodum durum, & pressionem digitorum non cedens. Juxta hunc tumorem manum versus inferiora ducens, percepi amplum saccum propendentem inter Pulmones, usque ad spinam dorsi: quo aperto, effluxit quantitas magna materiae spissae purulentae, coloris subflavi viridescentis, inodora poenitus. Cordis exterior superficies obducta erat membrana, ex inspissato pure constante, inferente etiam se inter fibras. Pulmones naturaliter erant constituti, sed versus costas repressi. Inferior pars Oesophagi, cum superiore Ventriculi, ruberrimum habebant colorem ibi loci, ubi saccus his incubuerat, & inflammationem passae videbantur: inferior ventriculi pars biliosa materiae valde tincta erat, & cavum ejus atque intestinorum tenuium cibus & chylo vacuum erat, dum in crassis scybala quaedam duriora, pauca tamen, conspiciebantur.

Dolui, me nihil de decursu morbi ejusque symptomatibus scire potuisse, nisi quod anxietatibus summis, & magnis circa praecordia doloribus, ante mortem Defunctus adfectus sit: videtur tamen concludendum ex cadaveris inspectione, in vivente aegroto depulsionem alimentorum impeditam & interceptam ex dicta causa fuisse, si attendamus ad pressionem mechanicam sacci purulenti, & ad ejus effecta, scilicet inflammationem partis compressae & absentiam materiae alimentaris in ventriculo atque intestinis tenuibus.

FIG.

*Figurarum explicatio.*

FIG. I. **R**epraesentat Laryngem, Asperam arteriam, Oesophagum morbosum, arteriam Aortam, aliasque partes ab anteriore.

*a* Epiglottis.

*bb* Cornua ossis Hyoidis.

*c* Cartilago Thyreoideae.

*d* Glandulae Thyreoideae pars.

*e* Aspera arteria.

*ff* Bronchia elevata cum aspera arteria.

*g* Glandula indurata oesophagum in collo premens.

*h* Oesophagi pars superior dilatata ultra solitum.

*ii* Foramen oesophagi praeternaturale cum vomica Pulmonis dextri communicans.

*k* Tumor indurati oesophagi.

*ll* Pars oesophagi indurata, callosa, coarctata.

*m* Pars oesophagi immutata.

*nn* Orificium arteriae Aortae in suo arcu abscissae.

*o* Arteria subclavia sinistra.

*pp* Aorta descendens.

*qq* Nervus octavi paris sinister.

FIG. II. Exhibet Pharyngem, Oesophagum, ceterasque *Fig. I.* partes a posteriore.

*a, bb, d, e, ff, g, h, ii, k, ll, m, o, pp, qq.* Eaedem partes, quae in Figura prima, a posteriore delineatae.



*cc* Pharyngis pars posterior.

*g\** Locus, in quo glandula indurata inprimis oesophagum comprimebat.

*nn* Portio Venae innominatae relictae cellulosae induratae tenaci inhaerens, quae etiam firmissime aortam cum oesophagi tumore (*k*) connectebat.

FIG. III. Delineatam sistit Glandulam ventriculi induratam pag. 53. memoratam, cum membranarum ejusdem portione.

FIG. IV. Arteria aspera & Oesophagus cum accumbente tumore induratae Glandulae, invento in cadavere Infantis quinquennis, ut antea conspicuae sunt hae partes.

*aa* Oesophagus.

*b* Aspera arteria.

*cc* Bronchia.

*d* Indurata Glandula oesophagum a latere & postica parte premens.

*e* Indurata portio Pulmonis dextri.

FIG. V. Earundem Partium a posteriore delineatio.

*aa, b, cc, d, e*, eadem partes a posteriore ac in *Fig. IV.*

*f* Locus, ubi Glandula indurata (*d*) oesophago accumbit, eumque premendo apta est.

# T H E S E S.

I.

*Secretionem bilis e sanguine per venam portarum adducto fieri statuo.*

II.

*Prima inspirationis causa quaeri debere videtur in intercepta per funiculum umbilicalem circulatione.*

III.

*Humores secreti quales excernuntur non praeesistunt in sanguine.*

IV.

*Liquore amnii foetum etiam nutriri posse, videtur probabile.*

V.

*Attritum sanguinis vivi ad vasa viva continui caloris causam in corpore humano esse puto.*

VI.

*Dentes non sunt ossa.*

VII.

*Frigus hiemale non videtur majorem ossibus fragilitatem conciliare.*

VIII.

*Qui sub aquis pereunt non moriuntur propter nimiam ejus ingurgitationem.*

IX.

*Medicamenta adstringentia etiam ultra primas vias operari posse videntur.*

X.

*Quemadmodum congestiones a spasmis, sic & spasmi a congestionibus oriuntur.*

XI.

X I.

*Atonia spasmum saepe insequitur; spasmum autem ab atonia oriri, non adeo probabilis est sententia.*

X I I.

*Ad conservandam sanitatem usus medicamentorum saepius nocet, prodesse tamen aliquando potest.*

X I I I.

*In morbis sanandis diaeta congruens magis aliquando aegrotantibus conducit, quam usus medicamentorum.*

X I V.

*Idem morbus a diversissimis, imo & contrariis, causis oriri potest.*

X V.

*Ergo indicationes curatoriae, quae a causis petuntur, optimae sunt.*

X V I.

*Ex crusta inflammatoria in sanguine educto sola non tuto judicatur de iteranda venae sectione.*

X V I I.

*Sitis in febre male soli humorum tenuium dissipatione tribuitur.*

X V I I I.

*In variolis insitiis indoles & numerus pustularum non dependet a qualitate vel quantitate puris adhibiti ad operationem.*

X I X.

*Quibus alvus stricta est ex intestinorum debilitate non conducit semper usus fortiorum purgantium.*

X X.

*Nimia abstinentia saepe peiores morbos potest producere, quam nimia repletio.*







